



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

V. An Deus Physice præmoveat ad entitatem Physicam peccati, sive, ut alii, ad materiale peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

gere per virtutem suam, instrumentum ad agendum applicare, &c. ergo similiter Deus præmovendo, applicando, &c. causas secundas, præter productionem, conservationem & earum talem dispositionem, ad quam de facto sequitur effectus, nihil producit per modum qualitatis præviæ ex se ad effectum ei proportionatum determinantis; hoc modò intelliges ly *inclinari* apud D. Aug. lib. 5º. contra Iul. c. 3º. *operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas voluntates, &c. ad mala pro meritis eorum;* unde liquet concursus Dei prævium, sive præmotionem, non impedire contingentiam effectus liberi, magis quàm causa libera, ut sub negatione præviæ qualitatis Physicæ prædeterminantis, in sententia PP. Societatis, illam impediatur; & tamen esse Physicè efficacem, idque infallibiliter ex suppositione concomitante, quòd de facto sequatur effectus; non quidem efficiaci ipsius præmotionis, applicationis, &c. quia illa in effectum non agit; sed efficiaci ipsius causæ secundæ; liberæ, si libera; necessariæ, si necessaria.

LXXXIII. Confirmatur Resolutio hæc ex rejecta, Resol. 1ª. qualitate illà præviâ per modum actus secundi ex se causam secundam ad agendum determinantis; & Resol. 2ª. concursus simultaneo præcisè, ergo, &c.

D V B I V M V.

An Deus Physicè præmoveat ad entitatem Physicam peccati, sive, ut alii, ad materiale peccati.

LXXXIII. **A**nte Resolutionem Suppono 1º. Deum esse authorem, sive causam moralem peccati sonare hæresim; quia in Trid. sess. 6. can. 6º. definitur Deum ad actum malum permissivè solum (puta prout opponitur moraliter, ut supra explicatum est) se habere: imò licet id sine periculo hæresis sic explicari posset: *Deus est causa moralis peccati quâ est actus Physicus, sive quâ est entitas Physica,* cum difficulter satis (ut infra videbitur) discerni possit inter suadentem materiale peccati, cui videt annexam malitiam, & peccantem formaliter, sive causam formalem peccati; puto à simili locutione omnino cavendum; & abhorrendum, ut rectè notat D. Thomas in 2ª dist. 33. art. 2º. in corpore.

LXXXIV. Suppono 2º. contra Durandum, à Dola, &c. quos Dub. 3º. refutavimus, Deum Physicè & immediatè concurrere ad materiale peccati, sive ad peccatum secundum suam entitatem Physicam: docetque Zumel 1. 2. q. 79. art. 2º. contrariam opinionem ut minimùm esse valdè periculosa in Fide, & fortè erroneam; Malderus verò aliquando Antuerpiensis Episcopus, è contra de nostra sententia 1. 2. q. 76. ait, reliqui omnes hanc nostram, tanquam dogma Catholicum, de quo dubitare non liceat, amplectuntur.

LXXXV. Suppono 3º. sine periculo erroris dici posse Deum esse causam Physicam peccati, quâ est actus Physicus, sive quâ est entitas Physica, id enim evidenter sequitur ex eo, quòd ad illud Physicè & immediatè concurrat; neque in eo est ullum rationabile periculum, ne inferatur, ergo est causa Physica malitiæ formalis ipsius peccati; ergo (cum causa Physica sit causa simpliciter) est causa simpliciter malitiæ formalis ipsius peccati; quia malitia formalis non

R.P. Francisci Bone Spei Physica.

est de objecto causæ Phys. sed causæ moralis tantum; unde licet suo materiali esset identificata, adhuc posset per causam efficientem attingi, absq; eo, quòd per moralem attingeretur, ut patet in dormiente, in Deum blasphemante, pejerante, &c. qui blasphemix & perjurii est causa efficiens; non verò moralis.

LXXXVI. Suppono 4º. præmotionem Physicam esse duplicem, unam ex se inferentem actum per modum ultimæ determinationis, & illam dubio præcedenti Resol. 1ª. rejecimus: aliam ex suppositione concomitantis determinationis necessariæ, vel liberæ, causæ secundæ necessariæ, vel liberæ, sui ad actum, quæ plurimum differunt, ut consideranti patebit dicta Dub. præcedenti Resol. 1ª. & 3ª. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

LXXXVII. **D**ico 1º. Deus non præmovet Physicè ad peccatum formaliter, ut peccatum est. Hæc Resolutio est de fide.

LXXXVIII. Probatur ex Scriptura. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tuam.* Psalm. 56. *Nemini mandavit Deus impiè agere.* Ecclesiast. 15. *Deus autem intentator malorum est.* Iacobi 1º. Deinde hujus Resolutionis veritas satis patet ex præsuppositis, oppositamque, vel ipsi hæretici damnant & criminantur. *Crudelis* (inquit Melancthon) *opinio est, quæ facit Deum authorem peccati, quod ista faceret, à qua auribus & oculis abhorre debemus,* ergo, &c.

RESOLUTIO II.

LXXXIX. **D**ico 2º. Deus non præmovet Physicè ad peccatum materialiter, sive ad entitatem Physicam peccati per qualitatem præviam ex se inferentem actum peccaminosum per modum ultimæ determinationis.

Probatur 1º. quia, ex dictis Dubio præcedenti Resol. 1ª. qualitas illa omnino superflua est, & contra mentem D. Thomæ, ergo, &c.

c. Probatur 2º. causa Physicè prædeterminans per præviam qualitatem ex se determinantem ad materiale peccati, cui malitia necessariò sit annexa, pejus facit, dum eam malitiâ materiali istius peccati necessariò esse annexam videat, quàm si suadeat, consulat, &c. materiale peccati, cui videt necessariò annexam esse malitiam: sed hic esset causa & author peccati formaliter, ergo à fortiori ille minor & consequentia patent: Probatur major, quia ille Physicè & moraliter determinat ad id, ad quod suadens moraliter tantum determinat, ergo pejus facit.

c. Dices entitas & malitia peccati spectant ad diversum genus; entitas quidem ad effectum Physicum & causam Physicam; malitia verò ad effectum moralem & causam moralem; ergo Deus potest per dictam qualitatem Physicè præmovere ad entitatem peccati, absque eo, quòd Physicè præmoveat ad malitiam peccati.

c. Respondeo concessio antecedente, distinguendo consequens, ergo Deus videns materiali peccati necessariò esse annexam malitiam, potest per qualitatem dictam Physicè præmovere ad entitatem peccati, absque eo, quòd simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati, nego consequentiam; sic ut simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati, concedo consequentiam. Sed ut sic est author

L

thor

thor & causa moralis peccati formaliter: si enim nullus videns materiali peccati esse necessariò annexam malitiam, possit materiale peccati suadere, absque eo, quòd sit author & causa moralis peccati; multò magis nullus videns materiali peccati esse necessariò annexam malitiam poterit ad materiale peccati per praviam qualitatem pròmove-
re, absque eo, quòd sit author & causa moralis peccati, ut satis supra ostendimus; & reverà non video, quomodo illo casu non pròmoveat ad materiale peccati ut annexam habet malitiam, quo casu ipsum esse authorem peccati, insciabitur nullus, estque expressa sententia D. Thomæ in 2^{um} dist. 37. q. 2. art. 2^o. ad 2^{um} dicendum quod illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem secundum quod actio deformitatem substat, id est secundum quod cognoscitur habere annexam deformitatem.

CIII. Nec dicas Deum ad pròmovendum per dictam qualitatem necessitari ex conditione primæ causæ, Domini causæ & modi, quo effectum causat, &c. non verò ad id suadendum. Quia quod assumitur omninò falsum est ex præmissis dubio præcedenti Resol. 1^a. & 3^a. ex quo sequitur materiale peccati, cui Deus videt necessariò annexam esse malitiam, à Deo liberè poni; quis autem dicat hominem sic materiale peccati ponentem non esse authorem peccati & causam moralem illius? reverà nullus (putem) rationabiliter.

CIV. Probatur 3^o. Deus esset author & causa moralis bonorum operum, per hoc, quòd videns illis esse annexam bonitatem, ad illa causas secundas Physicè prædeterminaret; amplius enim nihil requiritur; ergo similiter per hoc, quòd videns operibus malis esse annexam malitiam, ad illa causas secundas Physicè prædeterminet, est author & causa moralis malorum operum, ac consequenter contra Trid. sess. 6. can. 6^o. & D. Thom. in 2^{um} dist. 37. q. 2. art. 2^o. ad 3^{um} Deus mala opera, ita ut bona, operatur; Deus eodem modo dicendus est author malorum actionum, sicut est author bonarum. Sicut enim Deus, ideo est causa entitatis harum ut conjunctæ perfectioni, quia talem conjunctionem videns, ad entitatem illarum causas secundas Physicè prædeterminat; ita est causa entitatis illarum, ut conjunctæ defectui, quia talem conjunctionem videns, ad entitatem illarum causas secundas Physicè prædeterminat.

CV. Adde præterea quòd id militet contra totam doctrinam Augustini, ut lib. 2^o. de peccat. merit. cap. 19. extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit, aut adjuvat Deus. lib. 1^o. ad Bonif. cap. 18. Respondemus; nec ex Dei potentia, vel in malum, vel in bonum aliquem cogi: sed Deo deferente (igitur non per praviam istam qualitatem confortante) pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante (nota discrimen) sine meritis, converti ad bonum. Tract. 3. in Ioan. fecerunt ergo peccatum Iudei, quod eos non compulit facere. Epist. 105. nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non (nota) impertiendo misericordiam. Sed ad rem nostram clarissimè in Epist. 47. vias autem sinistras per-versas, id est, vias impiorum, non utique novit, quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi.

CVI. Confirmatur, si vel non sit Deus author & causa moralis peccati formaliter sumpti, ex eo, quòd, videns materiali peccati annexam esse malitiam, Physicè ad materiale peccati causas secundas prædeterminet; adhuc non potest Deus per qua-

litatem istam praviam ad materiale peccati, cui videt annexam esse malitiam, Physicè prædeterminare; alioqui similiter posset ad materiale prophetæ falsæ, cui videt annexam esse falsitatem, prophetas Physicè prædeterminare; unde omnino nutaret fides nostra, nobisque Deus ad falsam fidem laqueos injiceret: deinde omnes pœnæ temporales, quæ contra hæreticos, & omnes alios, ob materialem transgressionem (nihil curando de formali) in foro externo imponuntur, non sine gravi injuria imponderentur, ut consideranti patebit, injuste punitur (inquit Prosp. ad cap. Gal. lib. 1^o. Object. 12.) quod, ut fiat, impellitur. & ad Object. 10. Vincent. judicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate (puta excitante, suadente, impellente, de qua ibi) peccarent. concordat Fulg. ad Mon. lib. 1. cap. 26. quando autem peccanti servo iram justus Dominus intulisset, si servus ex Domini prædestinatione peccasset?

RESOLUTIO III.

CVII. Dico 3^o. Deus pròmovet Physicè ad peccatum materialiter, sive ad entitatem Physicam peccati, per aggregatum ex omni concursu Dei ad omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causa causans præcisè à sua actione condistinguitur. Videtur expressissima sententia D. Thomæ: in 2^{um}, sent. dist. 37. q. 2. art. 2^o. ad 2^{um} Deus actionis illius causa est, in qua malum consistit, eo quòd insluit agenti esse, posse, & agere; ubi vides pròmotionem declarari per aggregatum dictorum influxuum, sive concursuum, Dei.

CVIII. Probatur autoritate omnis Scripturæ, SS. Patrum & Scholasticorum (exceptis Durando, à Dola, & paucis aliis supra refutatis) docentium Deum immediatè concurrere ut causam primam ad peccatum ut actus est; ad materiale peccati, sive ad entitatem peccati prout à tali causa causante est, haud secus, quàm ad actum bonum; ac proinde tam ad materiale peccati pròmove, quàm ad actum bonum, (ex parte & ratione Dei domini & 1^a. causalitatis in res, actiones & agendi modos, præcisè,) ergo, &c.

CIX. Confirmatur refutatione secundæ sententiæ statim allatæ & simultanei concursus præcisè Dub. præcedenti Resol. 2^a. item solutione argumentorum.

CX. Obijciens 1^o. Deus intentator malorum est, Iacob. 1^o. perditio tua ex te Israël, Osee 3^o. ergo Deus non pròmovet Physicè ad materiale peccati.

CXI. Confirmatur: si Deus suaderet materiale peccati, cui videt necessariò esse annexam malitiam, esset author & causa moralis peccati formaliter; ergo à fortiori est talis, si videns ei esse annexam malitiam ad illud Physicè pròmoveat.

CXII. Respondeo 1^o. Retorquendo loca ista Scripturæ & argumenti confirmationem in concursum simultaneum; si enim dicas hunc concursum esse indifferentem, non salvas rationem primæ causæ & subordinationem causæ secundæ ad illam, uti Dub. præcedenti Resol. 2^a. probatum est: si verò dicas esse determinatum & determinatam ad unum, nihil plus volumus.

CXIII. Respondeo 2^o. Scripturam ibi agere de malis formaliter, & perditione quæ peccatum est formaliter, ut omnes fatentur.

Ad Confirmationem autem, in qua tota ferè difficultas, quam contra præcedentem sententiam allegavimus,

Respon-

cxiv. Respondeo concessio antecedente negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod Deus videns malitiam materiali peccati annexam, non aliter ad materiale peccati præmoveat Physicè, quam Physicè simultaneè concurrat, videlicet necessariò & per modum causæ universalis & primæ; quod non negat Augustinus locis Resolutione præcedenti in fine citatis; sed tantum, quod præmoveat liberè & per modum causæ particularis, uti ad opera bona.

cxv. Instabis, Deus præmovet determinatus à creatura, vel non, sed sic tantum ut sit determinatus & determinans ad unum? si primum, creatura erit causa prima, ejus determinatio ad præmotionem divinam erit à se, &c. si secundum, inciditur in sententiam, quam Resolutione præcedenti impugnavimus, ergo, &c.

cxvi. Respondeo Deum præmovere causam secundam sic, ut sit ad eam præmovendam determinatus & determinans ad esse præmotam; ita tamen, ut determinatio causæ secundæ in effectum, non sit ab aliqua qualitate præviâ ex se causam secundam determinante ob rationes Resol. præcedenti allatas; sed ab aggregato ex omni concursu Dei, &c. ut applicante, aptante, inclinante causam secundam, & ito sensu eam determinante ad agendum; & à causa secunda simul cum Deo, ex suppositione concomitante istius applicationis infallibiliter juxta conditionem suam, necessariò si necessaria, liberè si libera, efficienter agente: sic enim patet quod per præmotionem Physicam nulla vis causæ secundæ inferatur; item quod causæ secundæ, tam si libera sub præmotione Physica, quam sub sua productione & conservatione, quo sensu Augustinus ante Resol. 2^a. in fine citatus, præmotionem Physicam non respuit, nec ullus eam respuere potest, salva subordinatione causæ 2^æ. prout talis effectus causæ, ad primam.

D V B I V M VI.

An determinatio necessaria ad individuum sit à Deo, an à creatura.

A Nte Resolutionem
cxvii. Suppono 1^o. determinare creaturam ad aliquid, esse ejus indifferentiam ab illa tollere: illa autem est triplex; prima ad speciem actus, ut ad amorem vel odium; secunda ad exercitium, ut ad agere vel non agere; tertia ad individuum, ut ad ponendum hunc vel illum amorem, hoc vel illud odium in individuo ex infinitis possibilibus: unde is determinare dicitur, qui eorum, ad quod est, indifferentiam ad utrumlibet tollit.

cxviii. Suppono 2^o. determinationem posse considerari quæ exercitiam, & quæ exercibilem; tam quoad speciem, quam quoad individuum: determinationem autem quoad speciem exercibilem non esse specialiter à Deo, sed fundari in natura ipsius creaturæ videtur certum; alioqui dicendum esset, quod calor sit proprietas ignis, & non frigus, id esse à Deo specialiter, & non fundari in natura ignis, quod nullus dixerit: determinationem verò quæ exercitiam esse à Deo ut præmovente, id est, applicante, aptante, &c. constat ex dictis dub. 3^o. & 4^o. sed quod hic quaeritur, est, an dum ignis applicatur passio, calor A. qui producit & exercetur, quæ præ infinitis aliis possibilibus producit & exercetur, sit specialiter à Dei decreto? an ex ipsa crea-

tura, naturâ suâ ad illum præ cæteris determinata? sic nempe, ut creatura sic sit ex natura sua determinata, ut si aliquem hujus speciei effectum producat, hunc 1^o. hujus individui, illum 2^o. & ita de cæteris, producere debeat; sicuti si aliquam proprietatem hujus generis producere debeat, hanc hujus speciei v. g. calorem pro igne, & non illam v. g. frigus, producere debeat, ex intrinsecis & seipsâ ad id determinatâ. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

cxix. Dico determinatio necessaria ad individuum, non quidem ut exerceatur, sed ut hoc præ cæteris ejusdem speciei infinitis ponatur, sic est à creatura, ut à Deo esse non possit, ex aliqua præmotione præviâ ex se illam inferente, sive disjunctivè, sive determinatè.

cxix. Probatur prima pars 1^o. quia determinatio Dei ad individuum ut sic, nullo modo est necessaria ad hoc, ut Deus sit causa prima illius secundum se, & prout à tali causa, & sine absurdo salvatur in determinatione creaturæ ex natura sua ad hoc individuum 1^o. illud 2^o. &c. producendum, juxta explicationem factam in præsupposito; ergo, &c. Probatur antecedens; quia Deus est causa prima illius secundum se per hoc, quod illud producat, licet aliundè debeat secundum istum ordinem produci; deinde etiam est causa illius, prout est à tali causa, in quantum talem causam ex se & natura sua determinatam ad illud individuum isto ordine producendum, ad illius productionem applicat, aptat, &c. ut Dub. præcedenti Resol. ultimâ vidimus, ergo, &c.

cxix. Probatur 2^o. non est ad Deum in purè naturalibus recurrendum sine necessitate; alioqui dicendum esset causas secundas nihil omnino Physicè producere, sed omnia à Deo ad earum præsentiam Physicè produci; quod non admittitur; sed, ut patet ex probatione 1^a. hic nulla est ad Deum recurrendi necessitas, ergo, &c.

cxix. Probatur 3^o. in communi sententia, saltem PP. Societatis, causæ secundæ sunt determinatæ ad speciem, ergo & ad individuum: probatur consequentia, quia ex dictis in Logica Tract. 2^o. de Universalibus, Species ab individuis objectivè non distinguitur, & multò minùs realiter, ergo, &c. atqui non sunt determinatæ ad omnia simul ponenda; ergo ad aliqua ponenda secundum certum ordinem prioritatis & posterioritatis inter se.

cxix. Objicies, ille idem numero effectus, qui ab una causa producit, potuit ab alia produci, ergo, &c. Probatur assumptum, quia idem calor v. g. in aqua productus ab igne A. potuit produci ab igne B. quod probabis, quia potest remoto igne A, conservari ab igne B admoto, & seipsâ sæpè conservatur; ergo etiam potuit ab eo produci, ergo, &c.

cxix. Respondeo 1^o. Retorquendo argumentum in speciem: ad eandem speciem ad quam una creatura est determinata, potest alia esse determinata, ut v. g. sol, uti ignis, ad calorem, cygnus, uti calx, ad albedinem: ergo nulla creatura est determinata ad speciem? negas hanc consequentiam cum cæteris, & meritò; igitur & tuam consequenter negare debes.

cxix. Respondeo 2^o. negando consequentiam; quia indifferentia passiva effectus in individuo, rectè stat cum determinatione activa causæ ad effectum in individuo; sicuti indifferentia passiva effectus